

Venerando in Christo Patri

de No 1612.

— I Davidi Pareo

Gratiam et pacem a Deo Patre, per Dominum nostrum Iesum Christum.

Si qua est, Venerande in Christo Pater, Ecclesiarum Dei, nomen Christianum vere orthodoxe, profitentium, unio, si qua cultorum necessitas, hoc potissimum argumento probari debent, ut nulla habita ratione locorum aut difficultatis alicujus, ut magis coalescant, si non voce, epistola tantum fidem suam probent. Id quod a nobis non inconsulto factum confidimus. Celebrata etenim Synodus subli-nensi in tota assidentium, consultantium, de rebus ad Ecclesiam Dei pertinentibus, coronata, pari omnium voce et contentione idem est in hanc sententiam, Te virum venerandum hinc compellandum esse. Gratulamur itaque Ecclesiae, adeoque celeberrimae Academiae vestrae, quod in eodem flore, eademque dignitate earum salus versetur, remota scilicet, singulari Dei beneficio ab omni malevolorum hominum invidia, hostiumque domesticorum oppressione. Nobis profecto non eodem jure gaudere licet in tanta praesertim sententiarum confusione, ubi adverso partis authores indies ita fremunt, ut nullam timoris Dei, nullam gentis consanguinitatisque rationem habeant. Rescit rabies insatiabilis eorum, qui conjurati socii Curiae Romanae dicuntur, et tam domi, quam foris, quomodo Christi Ecclesia evertenda, quibus mediis Ministri ejus e mediis tollendi, deliberatur: Ad sunt stimuli Jesuitici innocentiae orthodoxae perniciem molientes: his sua voluptas est in mala causa triumphare, bonam vero abjecto omni pudore, mala interpretari, adu-sare, probos apud sua farina homines traducere. Vides igitur, Venerande Pater, quae sit rerum nostrarum

facies. At quis dicit, turbata religione, leges patrias in
suo vigore permansuras? quis plenam perfectamq; re-
bus suis securitatem polliceri audebit? Ad hoc malum
accessit alterum Samosatenum, quod quidem, quo
latius serpsit, eò magis virus suum in sinum Ecclesie
Dei profundit; hujus filii id agunt, quod Comici so-
lent, mutant personas, animos nunquam, fingunt
amicitiam, unionem petunt, ut tantummodo Evange-
lico pretextu palliati: pace tranquillitateq; fruantur.
At qua communicio cum istis esse potest, qui non acci-
piunt justas condiciones? quis nexus cum iis, à quibus
fundamenta toto genere à nostris defenduntur?
Tota ratio et petitionum et responsionum mandata
est chartis, quas fideliter descriptas vir venerandus
à Stephano (uentio accipiet. Gementes hæc breuiter
inferuimus, non quod animis despondeamus, aut omnes
proversus auxilii divini spem abiciamus: verum ut
inter hæc suspiria tempestivè de remediis cogitemus,
quorum unum est, ut nostras Ecclesias vestras precibus
commendemus; quod sanè vos factururos libenter, certè
speramus, nimirum persuasi, communem animorum
voluntatumq; rationem in communi discrimine ha-
beri debere: alterum, ut quantum sibi est in nos-
træ incendio huic aqua, collapsæq; Ecclesie reddificatione
instituire laboremus. In quo quidem opere, te virum
necandam præclaram navasse operam, ultro fatemur
in educandâ scilicet et promovendâ juventute. Nos
quem quidem animi tui candorem Stephanus (uentio
cum in alios tum in se, quoq; derivatum, literis prop-
riè ad parentem charissimum datis comprobavit. Pro
hæc tuis meritis, dignus dignam accipe animorum
nostrorum gratitudinem, majorem à Deo O. M. suo
tempore accepturus. Sic age vir meritisime, et hunc
laudabilem cursum perage, ut non tantum limiti tuo
patriæq; consulas, verum etiam nostra gentis juventuti
bene.

192

benè consulendo nominis sui famam ad externos trans-
mittas. Nec hujus officii immemores, crede, cum ad simile
quodvis studii genus nos tibi devinctissimos paratissi-
mosq; habiturus sis perpetuò. Sub finem epistolæ hujus
obnixè rogamus, ut prædicto scientiæ, institutione,
adhortationibusq; tuis adaris, vel orat Luter, vel nos
quoq; quod si abs te obtinuerimus, beneficium ingens nos
accepisse fatebimur. quod restat, Deum O-M. arden-
tissimis votis obsecramus, ut Ecclesiæ vestras, Acade-
miamq; celeberrimam Heidelbergensem diu sanctam
lectamq; conservet, beneduat, tueatur. Vale et nos
absentes presentiam amore complectere. Data Lublini
28. Junij 1612.

Frater in Jesu Christo amantissimus.

Andreas Jezierski Minister Jesu Christi,
nomine et auctoritate Parentis charissimi
Francisci Jezierski Superintendentis
Ecclesiarum Orthodoxarum in Minori
Polonia, manu propria subscripsit.
Albertus Myslovius Consenior Lublin.
manu propr. scr.

Johannes Episcopus Minister Christi n. pr.
Johannes Grzybowski Pastor ovium
Christi in coetu Lublinensi.

Samuel Labianovius Ecclesia Olesni-
ensis Minister, hospes quondam
Reverendæ Dignitatæ Tuæ.

Johannes Suentius Ecclesia Orthodoxæ
Lysobycensis Minister. Notarius
publicus Synodi, suo et omnium
fratrum nomine subscripsit n. pr.